



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

24. An si quis sumpserit Viaticum, v. g. Feria secunda Hebdomadae Sanctae, si postea non moriatur extra tempus Paschale, vel conualenscat, teneatur iterum Eucharistiam sumere ad satisfaciendum praeepto ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

RESOL. XXIV.

An si quis sumpserit Viaticum, &c. Feria secunda Hebdomada Sanctae, si postea non moriatur extra tempora Paschale, vel conualescat, teneatur iterum Eucharistiam sumere ad satisfaciendum praecepto annuae Communionis.

Et quid, si in praedicto casu vna die ante Dominicam Palmarum talis infirmus sumpserit viaticum: an de- tur paruitas materia in isto casu, ita vt illa Communionis satisfaciatur etiam praecepto Paschalis communionis?

Et inferitur, quod si Petro in poenitentiam iniungeretur, vt intra quindecim dies communicaret, & alias vouisset, ac simul praecepisset Praelatus intra eisdem dies communicationem facere, & si cum eisdem occurrerit dies Paschalis Communionis, tenebitur ad quadruplicem Communionem faciendam, intra illos quindecim dies; nam cum vnica Communionis illis obligationibus satisfacere non potest.

Sed an istud docetur, quod vno, atque eodem actu potest quia satisfacere pluribus praeceptis. Ex p. 10. tr. 11. & Misc. 1. Ref. 39.

§ 1. Casus est curiosus, & practicabilis; & ad illum affirmatiue respondet doctissimus, & amicissimus Quintanadueñas in Theol. moral. tom. 1. tract. 4. §. 1. n. 4. & sequentibus. Et supponit primo, duo esse distincta praecepta haec; aliud Diuinum communicandi in mortis articulo, aliud humanum, seu Ecclesiasticum communicandi quotannis in Paschate. Secundo supponit, haec duo praecepta dici posse in praesenti casu absolute concurrere in diuerso tempore: cum in primum tunc obliget, illo tantum die Dominicae Palmarum, & secundum illis quindecim diebus, scilicet ab ea Dominica ad Dominicam in Albis inclusiue.

2. His suppositis, sic in fauorem suae sententiae argumentatur. Quoties praecepta distincta, etiam si earum merita sint eiusdem speciei, sub diuersis temporibus permanent, & obligant; non potest illis satisfieri vnico actu: ergo nec his duobus praeceptis, cum distincta omnino sint, & in diuerso tempore concurrant, & obligent: diuersum enim tempus est vna dies, scilicet Dominicae Palmarum, ac quindecim dies ab illa numeratis, etiam si in illis Dominica contineatur; quia continens, & contentum distincta sunt absolute, licet simul secundum quid, id est, secundum exiguam partem eius dici, quam continent quindecim dies, sint idem. Confirmatur, quia si Petro in poenitentiam iniungeretur, vt intra quindecim dies communicaret, & alias vouisset, ac simul praecepisset Praelatos intra eisdem dies Communionem facere, tenebitur ad triplicem Communionem faciendam intra illos dies, immo ad quadruplicem, si cum eisdem concurrerent dies Paschalis Communionis: nam vt quadruplici illi obligationi vnica Communionis satisficeret, necessarium erat, vt vel certo, vel probabiliter saltem cognouisset Petrus diuersam non esse Communionem impositam a Confessore, vel Superiore praeter illam, ad quam ex voto, & praecepto Ecclesiae adtingebatur: ergo cum nec obiter, nec praedenter praefatur, quod Christus, & Ecclesia praecipientes intra illos quindecim dies Communionem Viatici, & Paschalem, vna prorsusque obseruantia contenti sint? duas omnino exigunt.

3. Verum his non obstantibus, negatiuam sententiam tuetur Pellizzarius in manuali Regular. Tom. 11.

tom. 1. tractatu 5. capite 3. sectione 2. numero 87. vbi sic asserit: Quære hic etiam posset quis, an Religiosus communicans per modum Viatici Feria secunda Hebdomadae Sanctae, si iudicio Medicorum sit moriturus intra tempus praescriptum ad Communionem Paschalem, sed superiuius pluribus diebus post sumpsum Viaticum, teneatur iterum communicare ad implendum praeceptum Communionis Paschalis? Respondeo, non tenet, & probatur, tum quia vno, ac eodem actu satisfieri potest pluribus praeceptis, vt bene ostendit Sanchez libro primo Moralium, capite decimo quarto, numero quinto. Tum quia haec videtur esse mens interpretatiua Ecclesiae, quatenus hoc ipso, quod supponit Communionem factam per modum Viatici esse vltimam; non censetur velle in isto casu obligare ad aliam Communionem, nempe ad Paschalem: idque procedit etiam in casu, quo praefatus Religiosus esset perfectè conualiturus; dummodo communicauerit intra tempus praescriptum ad Paschalem Communionem. Secus; si non communicasset intra tale tempus: tunc quippe iterum debere communicare: idque, etsi Viaticum sumpisset vna die tantum ante praefatum tempus: in hoc enim non videtur admit-tenda paruitas materiae; cum ab instanti indiuisibili incipiat dictum tempus, & in instanti indiuisibile terminetur. Hucusque Pellizzarius. Et licet Quintanadueñas vbi supra acutè conetur respondere ad argumentum Pellizzarii; tamen ego existimo huius sententiam satis probabilem; & ita etiam sentiunt multi Viri docti à me consulti. Et sententiam Pellizzarii videtur etiam aperte docere Tamburinus Opuscul. de Communione, cap. 5. §. 3. numero 7: vbi admittit, per vniam sumptionem posse quis satisfacere praecepto annuae Communionis, & praecepto sumendi Eucharistiam in articulo mortis.

Sup. hoc sit præ in Ref. 14. §. Sed ego signatè ad medium, & legetiam §. Sed si.

Sup. hoc sit tom. 1. tr. 6. Ref. 50. per totam, signatè in §. Sed difficultas & in aliis eius not.

RESOL. XXV.

An Sacerdos, qui ministrat aliis cum peccato mortali in Missa, vel extra Missam Sacram Eucharistiam, peccet mortaliter? Ex p. 2. tr. 14. Ref. 23.

§ 1. Affirmatiue respondet Valentia tom. 4. disp. 9. punct. 1. Suarez in 3. part. tom. 3. sect. 16. Coninch de Sacrament. quest. 64. artic. 6. dub. 1. num. 35. Villalobos in sum. part. 1. tract. 4. dub. 14. num. 2. Filliucius tom. 1. tract. 4. disp. 9. quest. 9. n. 271. & alij communiter.

2. At contrariam opinionem probabilem puto cum Syluio, & Cabrera in 3. part. quest. 64. artic. 6. & illam docet Valquez in 3. p. tom. 2. disp. 136. cap. 3. n. 38. Petrus de Reyna in summa sacram. tract. 4. n. 6. Ioan. de la Cruz in direct. conf. p. 2. q. 4. dub. 3. concl. 1. Ledesma in sum. tom. 1. cap. 6. concl. 8. diff. 5. Nugnus in 3. part. 1. quest. 64. art. 6. diff. 1. concl. 2. & alij. Nempe talem Sacerdotem in peccato mortali ministrantem, non peccare mortaliter. Ratio est, quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est minister Dei, ad iustificationem proximè, sicut in alijs Sacramentis, sed tantum est veluti applicans actiua passiuo; in alijs autem Sacramentis, Sacerdos simul conficit, & ministrat Sacramentum, non autem in hoc, non enim est idem conficere, & alijs ministrare. Cætera verò Sacramenta in actione, & vsu consistunt, Sacramentum verò Eucharistiae post consecrationem permanet. Ergo, &c.

Sup. hoc sit duabus Ref. seqq. & in tom. 1. tr. 2. ex latissima doctrina Resol. 10. signatè in fine & in Ref. 11. & ibi in tr. 2. ex Ref. §. 2. à lin. 3. & iterum ibi in tr. 7. in Ref. 15. §. Item Henriquez. & in Ref. 49. §. Imo. & in fine Ref. 41. & in Refol. 163. §. Nota tamen, & in tom. 4. tr. 8. in Ref. 126. §. vlt. ad medium, & cursum hic infra in fine Ref. 67.